DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
PRO QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis septimâ Januarii, M. DCC. LXII.

M. JACOBO VERDELHAN DES MOLES, Serenissimi Principis Condæi Consiliario-Medico, Doctore Medico, Præside.

An in pulsu inæquali aut intermittente purgantia?

I.



ARS medica, ars omnium utilissima, observatione nata, casto dein ratiocinio fulcita: paribus subsidiis ut olim, sic & hodie firmatur & in dies ditescit: eam igitur inanibus vagari conjecturis ne autumes. Ad suî natales, incrementum & perfectionem fecêre & adhuc faciunt, quæ circa morborum signa, eventus, medicamentorum facultates institutæ fuerunt & indefesso labore quotidie instituntur observationes. His fidendum, quæ à plurimis viris probis, in arte medicâ peritis, asseruntur, quæ in diversis regionibus observatæ, ad diversa pertinent temperamenta, quæ ad singulas spectant (paucis mutatis) vitæ periodos, & omnibus congruunt anni tempestatibus. Medica enim observata non sunt unius medici opus, sed omnium medicorum & omnis ævi: non unius anni labor sed omnium ferè sæculorum. *Ars* enim *longa, vita brevis, occasio præceps, judicium difficile. Non fingendum*, etenim *non excogitandum, sed inveniendum quid natura faciat aut ferat.* De rebus itaque medicis benè meretur ille, qui Hyppocratis cæterorumque medicinæ parentum vestigiis insistens, non novitatis amore allectus, nec vani systematis fuco captus, solius naturæ studiosus, leges medicinæ tamquam naturæ leges habet, & ut naturæ sic artis medicæ fundamenta certa & constantia prædicat. Tali innixus principio, non cæco quodam fato, aut ab ipsâ errante naturâ ipsius mores, periodos, crises dirigi pro certo habet: sed eo ipsissimo mirabili mechanismo, quo stat, quo viget, quo perennatur æconomia animalis: iisdem enim legibus suî semper similis natura suas in sanitate functiones obit liberè & placidè; quibus in morbo materiam morbificam ipsi adversam præparat, subigit, emendat, aut insensibili quâdam evacuatione per vias proprias, & determinatas victrix expellit, & foràs eliminat. Ast naturæ motus primi, ipsiusque ad materiæ morbificæ expulsionem conamina augurari, hoc opus, hic labor est. Medicus naturæ minister, non magister, quò vergit natura eò ducat oportet: ipsius ergò motus consideret tacitus, scrutetur, facta perpendat, ut quo tendat judicet certò, eòque, ipsam sequendo, ducat.

II.

CERTUM est, nec quisquam, spero, ibit inficias, humorum inquilinorum in primis viis congestionem in omnibus ferè morbis sive acutis sive cronicis

locum habere, five ut caufam five ut effectum. (Hanc autem conjeftionem cujufcumque fit indolis, acidæ, pituitofæ, biliofæ &c. communi faburræ aut cacochimiæ nomine vocabimus.) Ex hoc fonte manant, quafi à causâ primariâ infimi ventris morbi ferè omnes, maximè ii qui in ventriculo, inteftinis aut jecore fedem habent, ne iis quidem exceptis qui inflammationem comitem habent : fic diffenteriæ, cholera morbus, ventris tormina, vomitus, alvi fluxus, fic obftructionum omne genus, febrium intermittentium, exacerbantium, putridarum, malignarum cohors omnis, generi humano tam infefta. Hinc determinantur morbi periodici ferè omnes, fic artritidis, rheumatifmorum, epilepfiæ, cæphalagiarum, aftmatis, &c. paroxifmi femper indè ferociores & quafi tenaciores facti. Hinc habent natales plures morbi, cujus naturam, caufam prorfùs diverfam facilè fufpiceris, putà hæmopthoe, affectus hypocondriaci, convulfivi, vaporofi, in membris dolores erratici, quos vulgò flatulentos dicunt : qui omnes aut dejectione naturali, aut cathartico levi & repetito vel levantur vel abfolutè tolluntur. Ex hac eâdem causâ plures morbi aut effectus & diuturniores & incurabiles quandoque fiunt, quibus æger cruciatur, languet, & tandem extinguitur : qui facili negotio à medico huic theoriæ attento curari & fanari potuiffent. Pharmaca enim vel maximè morbo accommodata, propria & quafi fpecifica, difficile finem attingunt, ubi caufam foventem aut procatharticam vel non aggrediuntur, vel, in primis viis per quas tranfeundum, mutantur & vitiantur. Ne mireris ergò fi tam frequens in omnibus morbis, ubi materia turget, purgantium ufus ; fi ab iis in multis morbis aufpicetur medicus prudens, vel faltem mentem ad eâ dirigat & fæpè nullum aliud medicamentum aut fubfidium habeat. Undè liquet quantum ad & certam medicinæ praxim interfit, figna habere pathognomonica quibus vel leviffima hujus luis veftigia pateant. Plurima funt omnibus nota, V. G. vomituritiones, linguæ mutatus color, cardialgiæ, lypothimiæ fenfus, pravus in ore guftus &c. At hæc pluribus affectibus communia funt non propria, faburram quidem indicant fed accumulatam tantùm non turgefcentem, nec evacuandi tempora : undè in quodam fenfu dici poteft purgantium ufum habitu quodam potiùs dirigi quàm certis, tutis feu *omni, foli & femper* competentibus regulis : quantùm ergò indè progreffus, certitudinis haberet medicinæ praxis, quantam in applicandis præceptis fiduciam, quantum ægrorum faluti & incolumitati confuleretur fi tali figno gaudere daretur medico, undè primum naturæ medicatricis conamen dignofceret, ut quid fibi tunc fit agendum, videat.

I I I.

QUOD quidem fignum illud univocum jam à multis annis innotuit ; *pulsûs* nempè *inæqualitas* aut hujus quafi fupplementum *intermiffio*, quod omni & foli & femper competit ; fi quofdam tamen cafus rariffimos eofque facilè dignofcendos exceperis. Hoc primus dogma pofuit medicis, tefte Nihell & Cox in practicis, non minùs quàm theoreticis notus *Ferrein.* Duplex autem fedulo diftinguenda venit pulfûs inæqualitas, alia ratione vis quâ digitus pulfatur, alia ratione pulfationum frequentiæ ; utramque rariffimè repererunt medici minùs attendentes, eamque, maximè intermiffionem, periculi plenam judicârunt : at falsò : nam frequentiffimè occurit in morbis præcipuè chronicis, in iis qui debili aut læsâ fruuntur valetudine, in quibus faburra non modò abundat, fed etiam turget. Si caufam requiras, procul dubio ab inæqualitate contractionum cordis repetenda eft : aft ne plus ultrà, nam in obfcuro latent hujus relationis caufæ & forfan latebunt diu ; nifi eas multo probabilius in quadam nervorum communione & fimpathiâ reponere volueris, cùm ab iis omnis in corpore motus & fenfus omninò oriatur, eofque, nulla habitâ ratione diftributionis, nunc in hâc, nunc in illâ parte, modo hoc, modo illo modo agere compertum fit. Sed quidquid fit de hujus affectus verâ & genuina causâ, conftat eam pulfûs inæqualitatem dari ubi in primis viis materia turget evacuanda, eamque pro quantitate hujus materiæ aut potiùs pro intenfitate ftimuli & modo quo agit plus minùsve evidentem & frequentem de-

prehendi imò ad intermissionem usque progredi. At non ita facilè est in omni casu tale signum dignoscere : sæpè maximâ attentione opus est, imo & determinatâ mentis intentione. Si enim leviter tantùm, quasi de febris gradu unice ageretur, uno aut altero instanti, arteriam interrogoveris, fugit, fallit minùs attentum; at per vigenti quinque, triginta etiam & plùs pulsationes premè arteriam, cùm ad hoc examen directâ mentis directione, idque plurimâ vice repete : tunc certè hanc inæqualitatem, sic assuefactus in omni casu percipies. Insuper autem id monendum, in robustis viris, in iis quibus cordis & arteriarum vis intenditur, ut in febre violentâ, exercitio immoderato, animique pathematibus, putâ ira, dolor, in quibus actio tonica fibrarum major, non semper, licet existat, deprehendi, sed multo meliùs cessante paroximo se prodit, ita ut tunc levis inæqualitas pro gravi, hæcque pro intermissione ipsâ habenda sit.

I V.

HUJUS asserti veritatem quisque comperiet qui eo quo diximus modo pulsum exploraverit; in senibus, in edacibus, in valetudinariis, quibus quasi ex habitu saburra est. Quod quidem multo certius patebit : si pulsum eorum in quibus cacochimia evidens & abundans est, ut in indigestione, cùm eorumdem pulsu comparaveris post evacuationem cathartico aut emetico copiosè proritatam. Senties enim, non sine quodam admirationis sensu, pro quantitate materiæ expulsæ, vel minui, vel cessare omninò hujus pulsus inæqualitatem & intermissionem, modò diætâ liberiori, ipso purgationis die, ut sæpè fit, non reviviscat. Quod quidem ex lubitu licuit perpendere in matronâ quâdam nobili, quæ leucophlegmatiâ laborabat, cui affectus histerici non contemnendi sanè accesserant. Huic pulsus frequentissimè octavâ, nonâ aut duodecimâ pulsatione intermittebat : non ea proportione, quâ affectibus convulsivis cruciabatur, sed eâ, quâ materies turgebat: nam sæpe perstante eâ intermissione, imò sæpè intentiori remittebant histerici affectus : at propinato cathartico cessabat saltem per aliquot dies ea pulsus intermissio, donec diætâ imprudentiori rediret inæqualitas ad intermissionem usque progrediens, donec, horrendo quasi modo sese manifestarent illi affectus vaporosi vulgò dicti. Huic nostræ opinioni suffragantur plura in praxi quasi axiomata, sic pulsum intermittentem, vermium præsentiam arguere perhibent : porrò nulli vermes absque fomite, qui fomes saburræ genus & species. Sic Pichelinus vidit flatibus pulsum intertutbari, quibus copiosè erumpentibus, liberatur æger : flatus autem vitiatæ digestionis signum certissimum. Sic Celsus Lib. III. Cap: 6. „ Venis „ maximè credimus fallacissimæ rei, quin sæpè istæ lentiores, celerioresve sint & „ ætate & sexu & corporum naturâ & plerumque satis sano corpore si stomachus infir„ mus est. " Multæ insuper à diversis authoribus institutæ sunt observationes : in diversis regionibus, quæ tam sæpè à plurimis fuerunt repetitæ, cum similibus circùmstantiis, parique successu ut pluribus contigit diarrheas plures antè dies prædicere ex pulsu intermittente, quæ dein dicto tempore & sæpè horâ cum magnâ astantium admiratione, medici gloriâ & sæpè ægri levamine evenerunt; sic a D. Francisco Solano *Duluques* per annos triginta in Hispania, Nihell in Angliâ : pluribusque aliis medicis recentioribus factum fuisse perhibetur. Sic Prosper alpinus in pleuriticâ pulsum ita intermittere vidit à primo ad quartum diem, ut primâ die singulis septem aut decem pulsationibus, secundâ singulis sex aut quatuor, tertiâ singulis tribus, quartâ singulis duabus & hâc ipsâ die cum urinâ crassâ pituitosâ excretâ, convaluit æger Sic Wierus narrat in Equite quodam febre malignâ, ut ait, decumbente cum signis putridi, in primis viis hærentis evidentibus, quales sunt vomitus biliosi, flatuum per superiora eructationes, dejectiones fætidissimæ; die morbi sexto ex inæquali intermittentem factum esse pulsum ut septimo mane tertiâ quâque pulsatione perciperetur; tandem ventriculi doloribus, vomitibus addictus, die octavo catharticum propinavit a quo die nono sanatus fuit æger, copiosâ factâ evacuatione. Qui plura de his voluerit, videat quæ Franciscus Solano *Dulluques* * & Nihell * protulerunt : cæterùm monendum restat circa neotericos qui de crisibus eorumque signis antecedentibus nuper scripserunt. 1°. Plerosque,

* Lapid. lid.
* Observ. nouv. sur les crises.

ſubtiles Galeni differentias, mutatis tantùm nominibus, renovaſſe, & ad faſtidium uſque prædicaſſe. 2°. Effectum pro cauſâ habuiſſe: viderunt & id quidem pluries, alvi fluxum ſequi pulſum intermittentem: ergò, inquiunt, tali pulſu certò prænunciatur alvi fluxus: at falſo: cauſam quidem alvi fluxus indicat ſed non neceſſario & abſolutè alvi fluxum, cum hæc ſaburra per vomitus, per urinas poſſit evacuari ſicut & per diarrheam ut aliquando viſum eſt, pro naturæ intentione.

V.

CUM autem jam probaverimus pulſûs inæqualitatem & intermiſſionem in primis viis materiam turgeſcentem, primumque naturæ ad hanc expellendam molimen oſtendere; nolumus ſanè abſolutè generalem regulam ponere quaſi ſemper & in omni caſu talem concluſionem eruere liceret; ſunt equidem tales pulſus intermittentes quaſi ex naturâ, & ex habitu; qui quidem cùm hujuſmodi ſint minimè pro inæqualitate aut intermiſſione, de qua diximus, accipiendi ſunt. Porrò, quidquid ex habitu eſt, criticum minimè poſſe eſſe apud practicos notum eſt. Si objicias inſuper, multis in morbis pulſum intermittentem obſervari minimè criticum, nec à ſaburrâ primarum viarum, verbi gratia, in cordis polipo, magnorum vaſorum circa cor impedimentis. In promptu reſponſum: cauſa patet, ſignis propriis ſicut & natura morbi; diſcernat ergò inter ſymptoma & ſymptoma, inter ſignum & ſigni modos, nec confuſioni locus erit, nec errabit medicus prudens & attentus. Illa intermiſſio ſemper eadem eſt & eodem modo; eſtque potius arteriæ quaſi æquæ ebullientis, ut ità dicam, fremitus, quàm vera & propriè dicta intermiſſio. Si inſtaveris, in affectionibus ſpamodicis, debilitate, inanitione morti proximis, in plethora, in ſcorbuticis quandoque obſervari; eſto, ſed omnia attentè phœnomena conſideret, medicus. Pulſûs quidem ſignum eſt certum, ſed ſi ſolus ſpectetur, non aliarum ſimul circumſtantiarum vel cauſaum externarum ratio habeatur in dijudicando admodum poteſt decipere. Si dicas ſenes, edaces pulſu intermittenti ferè habituali laborare plùs minùsve evidente, indè opinionem confirmare licet & concludere experientiâ, ratione ducti.

Ergò in pulſu inæquali aut intermittente purgantia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Gabriel Dupré, Sereniſſimi Principis Condæi conſiliarius & Medicus.

M. Antonius Petit, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Stephanus Pourfour du Petit.

M. Paſcaſius Borie.

M. Florentius-Carolus Bellot, Profeſſor Regius.

M. Ludovicus Pathiot.

M. Carolus-Ludovicus Liger.

M. Joannes Stephanus Guettard, Regiarum Academiarum Pariſienſis Rupellenſis, Florentinæ & Stokolmienſis Socius, Cenſor Regius & Hiſtoriæ naturalis Muſæi Sereniſſimi Ducis Aurelianenſis Cuſtos.

M. Natalis-Maria de Gevigland, Regiorum in Germaniâ Ducum & militum Noſocomiorum nuper Medicus.

Proponebat Pariſiis HUGO GAUTHIER, Riciacus Lingonenſis, Doctor Medicus Monſpelienſis, nec non Saluberrimæ Pariſienſis Facultatis Baccalaureus, Theſeos Author, A. R. S. H. 1762.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ Quillau, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1762.